

contracta ad motum celi et distancias astrorum cum virtutibus eorundem.

Sed ista astronomia dupliciter traditur: vel per modum ysagogarum, id est introductionum, vel per modum artis et sciencie speculative subtiliter tradite, et sic habemus magnos tractatus astronomie sicut Almagesti Ptholomei<sup>m)</sup> maius et minus et ceteros tractatus<sup>9)</sup>. Sed per modum introductionis tradita reperitur in pluribus tractatibus diversorum, quorum quendam fecit Alfraganus<sup>10)</sup>, quendam Thebit, maxime de circulis<sup>11)</sup>, et sic de aliis. Sed omnibus dimissis ad presens intendimus de tractatu  
75 introductorio in astronomiam, qui<sup>n)</sup> dicitur „Tractatus de spera magistri Johannis de Sacrobosco“, qui inter ceteros est faciliior et pueris aptior volentibus ingredi<sup>o)</sup> artem astronomie et quasi pro maiori parte sumptus est ab introductoriiis<sup>p)</sup> Alfragani et Thebit. Verum est, quod duplex est pars astronomie, scilicet de motibus et de iudiciis. Modo iste liber magis  
80 introductorius est in partem de motibus, sed Alchabitii<sup>12)</sup> tractatus magis introductorius in partem de iudiciis. Tamen quia pars de iudiciis presupponit partem que est de motibus, igitur iste liber ex consequenti magis introductorius est in totam astronomiam. Sic ergo patet, cui parti phylosophie supponatur liber iste, quia astronomia. Patet etiam quis sit tytu-  
85 lus eius<sup>q)</sup>: *Incipit tractatus de spera Johannis de Sacrobosco introductorius in astronomiam.*

Hiis visis videndum est de causis istius libri; sunt autem quattuor: efficiens etc. Efficiens secundum quosdam fuit Johannes de Sacrobusto, id est de sancto sepulchro. Isti ergo claudicant, ymmo redarguuntur per epitaphium istius boni viri felicitis recordacionis, quod est super sepulchro eius in ambitu sancti Maturini Parysius<sup>r)</sup>; est spera depicta in lapide, epitaphium dicit sic:

*De Sacrobosco qui compotista<sup>s)</sup> Johannes*

*Tempora discrevit, iacet hic supra tempora raptus.*

95 *Tempora qui sequeris, memor es quod tu<sup>t)</sup> morieris.*

*Si miser es, plora; pro me miserans, precor, ora.*

m) Ptholomei Hs.

n) que Hs.

o) am Rand eingefügt ingredi

p) introductoria Hs.

q) quia titulus eius est am Rand

r) in Parysius Hs.

s) compotista Hs.

t) memor quia Hs.; vgl. oben S. 180 Z. 140

<sup>9)</sup> Vgl. oben Text-Anm. 33.

<sup>10)</sup> Hierzu oben Text-Anm. 34.

<sup>11)</sup> Wohl „Liber Thebit de recta imaginatione spere et circulorum eius“; vgl. Anm. 15 zu Anhang I.

<sup>12)</sup> Vgl. oben Text-Anm. 67.